



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Germanus Ep. 31. Iulii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

S. GERMANVS EP. 31. Iulii.

Germanum Musæ ad summos honores evexerunt. In his positus cum animum ad indigna munere suo studia dimitteret, & venandi amore illectus Palladi jam Dianam præponeret, monitor adfuit Amator urbis Pontifex & arbore, in quâ ferarum capita defixerat, excisâ, insanum etiam venandi studium ex ejus animo extirpavit. Etli enim iratum fugere aliquandiu Amator est coactus, rediit tamè paulò post, & inermem in templo GERMANVM aggressus captum amicâ vi in sacerdotem attondit, infulæque suæ moriturus heredem fecit. Inde alium jam vidisses GERMANVM. Nemo modestior illo. Nulli digniores infulâ mores, ille cilicio corpus vestire, ille præter panem hordeaceum & mortis monitorem cinerem nihil in mensam admittere. Ille reditus in pauperes dispensare, & cum ex his uni tres reliqui aurei essent, jubere, ut hi etiam illis in prædam cederent. Verùm cum ex his unum minister servasset. Numenque pro binis ducentos dono submisisset, notavit scilicet GERMANVS avaritiam illius, qui ingens scenus (quod trecentorum aureorum futurum erat) imminuisset. Obiit anno CCCCXXXV. patriæ suæ unicum præsidium. Nam dum vixit

xit contra imminentes urbi hostes ipse exercitum duxit, signa ipse tulit, utque animos civibus faceret, sæpè sæpius cum suis *All lura* insonuit, itaque ferè unus rectè Epinicium ante victoriam cecinit. *Ex Surio.*

S. IGNATIVS LOYOLA C.

31. Iulii.

IGNATIVS è nobili milite Societatis IESV Dux animi sanitatem pedum debet vulneri, hujus curatione D. Petro, vitæ immutationem piorum librorum lectioni, Castitatis verò donum Virgini M A G N Æ, quæ cum Filiolo suo spectandam illi se dedit. Ad hujus aram cum opima spolia, (arma sibi detracta) suspendisset, inter miros pœnitentiæ rigores, M A R I A dictante, libellum illum Asceticum scripsit, quem ne libro satis laudes. Cum horas VIRGINIS percurreret, ad arcanum S. Triadis aspectum admissus est; Eiusdem Sabbatho extra se raptus, non nisi altero Sabbatho ad corpus rediit, Animarum lucro inhians, vir annorum XXXIII. literas discere est aggressus; mox socios scribere, parvas copias, sed ingens orbi laboranti præsidium, & cui IESVS ipse propitium Romæ se fore appromisit. Vnicum ei symbolum fuit, *Maior DEI Gloria*; perquam familiaris illa cum lacrymis

D d 5

vox: